UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De s[an]cto Anastasio papa. i. [et] co[n]fes. Cap[itulum]. xci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

ceſſit: ⁊ ſedit annos ſeptem: menſem vnū: dies
xi. Hic ex precepto beati petri apl'i. xxv. preſby
teros ordinauit in vrbe roma menſis decēbris.
Hic pontifex primus in litteris ſuis poſuit ſa-
lutē ⁊ apl'icam benedictionē. Qui etiaꝫ oībus
populis ſcribens approbat ⁊ cōmendat pere-
grinatiōes ad ſanctos: ⁊ maxime ad limina ſan
cti petri: aſſerens qd̄ validior eſt ad ſalutē ſcti
petri viſitatio ꝙ̄ ieiuniū duoꝝ annorū. Et illos
etiā anathemate ſubdit: q̇ viſitationē apoſtoloꝝ
impediunt vel diſſuadent. Dicūt quidam: quod
linus ⁊ cletus petri ſucceſſores non ſederunt
vt pōtifices: ſꝫ vt petri coadiutores. quibꝰ bea
tus petrus in vita ſua credidit diſpenſationeꝫ
eccleſiaſticarū rerū. Ipſe vero tātū predicationi
⁊ orationi vacabat: ꝓpter quod tanta auctorita
te dotari meruerūt vt in catalogo pontificū po
nerentur. Clementē vero ipſe beatus petrus ſuc-
ceſſorē ſibi conſtituit: licet aūt hec veritati nitā
tur: tamē vt ait hieronymus beatus clemēs ſpi
ritu ſancto plenus timens ne apoſtolica ordina
tio poſteris tēporibus tranſiret in vitiū: vt q̇dā
hereditariū manus putātes minus de dei cogi
tarent electione: linū ⁊ cletū ante ſe coegit pon
tificare. Et ſic clemens primus fuit ꝑ petri ele
ctionē: terciꝰ vero ꝑ gradū. Beatus aūt cletꝰ tpe
tyti ⁊ veſpaſiani īperatoꝝ martyrio coronatus
eſt. Sepultuſq; eſt iuxta corpꝰ bti petri in vati
cano. vi. kal'. maij. Et ceſſauit epatꝰ dies. xxxv.

¶ De ſctō marcellino papa ⁊ mar. Cap. lxxxix.

MArcellinꝰ pa-
pa ⁊ martyr natione ro
manꝰ ex patre ꝓiecto
de regione capitauri
caio pōtifici in epiſco
patu romano ſucceſſit:
ſeditq; annos octo: mē
ſes. ij. dies. xxv. Quo
tpe fuit grauiſſima ꝑ-
ſecutio xpianorum ſub diocletio ⁊ maximiano
imperatoribus: ita vt infra vnū menſem. xvij.
milia hoīm ꝓmiſcui ſexus per diuerſas ꝓuin-
cias martyrio coronarent̄ xpiani. Qua de re et
ipſe marcellinus ad ſacrificiū ductus eſt: vt thu
rificaret. Et mortē expauens cōpulſus a dio-
cletiano duo grana incenſi poſuit idolis. Poſt-
ea vero penitētia ductꝰ in cāpania corā. lxxxviij.
epīs ore proprio penituit ⁊ cinere capite aſper
ſus ac cilicio indutus ſe peccaſſe confitēs epīs
iudicandū ſuppoſuit dicēs ſe paratū ad omnia
que ſibi imponerent. Illi vero eidē rn̄derunt: ꝙ
ſummus pontifex a nullo iudicandus eſſet. Nā
ſi ipſe negauit ⁊ petrus etiā magiſter ſuus nega
uerat: quē tamē nullus apoſtolorum iudicare
preſumpſerat: ſꝫ egreſſus foras amare defleue
rat. Ipſe ergo ſuā cauſaꝫ colligeret: ⁊ ore ꝓprio
ſeipm̄ iudicaret. Tunc marcellinꝰ ob ſcelus ido
latrie iudicauit ſe deponenduꝫ: anathematiza-
uit etiam quicūq; corpus ſuū ſepulture trade-
ret. Sicq; pergens ad diocletianū ſe xpianum
confitēs cū claudio ⁊ cyrino ⁊ antonio diaconi
bus capitalē excepit ſentētiā: ſicq; martyrio co
ronatus eſt. vi. kalē. maij. Hic etiā fecit ordina-
tiōes duas ꝑ menſem decēbris. p̄ſbyteros. iiij.
diaconos. ij. epiſcopos ꝑ diuerſa loca nūero. v.
¶ Poſtq̄ aūt decollatꝰ fuiſſet: ⁊ corpꝰ eiꝰ. xxx.
diebꝰ ad exemplū xpianoꝝ in platea iacuiſſet:
nocte apparuit per viſum beatus petrus apl's
marcello preſbytero: eidē marcellino in epatu
ſucceſſuro: interrogans quare corpus ſuū inhu
matū nō ſepeliret. Et ſe petrū apoſtolū eſſe di-
xit. Qui cū rn̄deret: ꝙ corpus ſuū iamdudū ſe-
pultū fuerat. Apoſtolus ei dedit intelligere ꝙ
dicebat de corpe marcellini. Cū aūt marcellus
dixiſſet ꝙ ipm̄ ꝓpter ſentētiam excōicationis
ſepelire nō auderet: audiuit ab apl'o ꝙ oīs q̇ ſe
hūiliauerit exaltabitur: ⁊ ꝙ multū ſe marcelli-
nus humiliauerat: qui ſe indignum ſepulture
iudicauerat. Admonens vt ipm̄ iuxta ſe tanq̄
martyrē ⁊ verū pōtificē tumularet: vt quos iu
ſtificabat gratia nō diuideret ſepultura. Mar-
cellus ergo cū lucina ⁊ preſbyteris ac diaconi
bus noctu corpus accepit ⁊ iuxta corpus beati
petri in vaticano ſepeliuit ab eodē die ceſſauit
epiſcopatus annos. vij. menſes ſex: dies. xxv:
propter nimie perſecutionis immanitatem.

¶ De ſancto Ricario confeſſore. Cap. xc.

RIcarius cōfeſſor natus vil
la cētula ꝓuincie
pontine monitꝰ a quodā caldoni
co ſacerdote quē de hibernia ve-
nientē hoſpitio ſuſceperat: de ru
ſtico religioſus effectꝰ vtebatur
pane hordeaceo cinere cōmixto. Aquā vero cū la
chrymis tēperabat: ⁊ ex illa balnea faciens le-
proſos fouebat: ⁊ poſtmodū ipſe eadem balnea
introibat. Qui etiā in britānia p̄dicauit. Rex
vero francorū dagobertus eius famam audiens
ipm̄ ex deuotione viſitans eiuſdē ſe orationibꝰ
cōmendauit: ab eo quoq; inuitatus ad menſam
magis ipſe ſalutaribus monitis mente ꝙ̄ tem-
poralibꝰ cibis corpore refectus eſt. ¶ Deinde
vir ſanctus famam mūdi fugiens a giſilimaro
quodā viro nobile in ſilua criſiaſſenſe cum ſigo
bardo diſcipulo ſuo locū ſolitariū deo ſeruiēdi
obtinuit. Ibiq; breui ſtructo tugurio vitā ana-
choriticā multo tēpore exegit: multoſq; ad ſe
venientes languidos diuerſis ab infirmitatibꝰ
ſanos effecit. Et redimitus virtutibus in pace
quieuit. vi. kalē. maij. Sepultuſq; ē a diſcipulo
in loco vbi ipſe ſibi p̄ceperat. A quo in extaſim
rapto viſus ē ī aula ſplēdidiſſima mira fragrā
tia referta cōſiſtere ſplendore admirabili coru
ſcare. Cuius corpꝰ ocialdus olim eiꝰ abbas cū
ſuis monachis ad ſuū monaſteriū cētulā trāſ-
tulerunt: vbi multoꝝ ſignorū gloria claret.

¶ De ſctō Anaſtaſio papa. i. ⁊ cōfeſ. Cap. xci.

ANaſtaſius papa huius nois primꝰ natione romanus ex patre maximo ſyricio pape ĩ põtificatu romano ſucceſſit: et ſedit annos. xiiij. menſes. x. dies xxv. Hic cõſtituit vt debiles aut mẽbris carentes nõ poſſent clerici conſignari. Cõſtituit etiã vt qñ euangeliũ legeret̃ pſ̃byteri et clerici non ſederent: ſed ſtarent. Et ſtatuit vt nullus tranſmarinꝰ ad clericatus honorẽ ſuſciperetur: niſi proprij epi chirographũ cum ſigillo exhiberet. Et hoc precipue cõſtituit ꝓpter hereticos manicheos qui in vltra marinis partibus abundabãt. Hic in magna ſenectute annoꝝ videlꝫ vltra lxx. ſummꝰ põtifex electus eſt ꝓpter ſuã nimiã ſanctitatẽ. Quẽ beatus cognoſcẽs hieronymꝰ ei contemporaneus ſcripſit de illo: ꝙ eius vita diuturna mũdus immeritus eſſet frui. Floruit aũt tempore archadij imperatoris. Et quieuit in domino. v. kalen. maij. Sepultuſqꝫ eſt in cimiterio beati petri apoſtoli.

¶ De ſancto Antimo epiſcopo ⁊ ſocijs martyribus. Cap. xcij.

ANtimus eps cum alijs multis apud nicomediam ſub pſecutiõe diocletiani martyrium paſſus eſt. Qui vt traditur eccl'iaſtice hyſtorie lib. viij. cũ eſſet põtifex ipſius ciuitatis ob cõfeſſionem chriſti martyrij gloriã capitis obtrũcatione ſuſcepit. Quem tanꝙ bonuꝫ paſtorem: ſecuta eſt vniuerſa pene gregis ſui multitudo per eãdem martyrij viam. Quoꝝ alios prefatus tyrannus apud eãdeꝫ tunc reſidens ciuitatẽ gladio obtrũcari: alios ignibus cõflagrari: alios nauiculis impoſitos in pelago mergi fecit: ipſis fideliũ turbis vltro ſe tãta feruore neci offerẽtibꝰ: vt etiã ſe interrogari nõ pmitterẽt: ſꝫ xpianos ſe confitẽtes ſpõte ſupplicijs ingererẽt. Quorum paſſio recolitur. v. kalen. maij.

¶ De ſctõ Liberale confeſſore. Cap. xciij.

LIberalis de ciuitate altini natus: a ſancto epiſcopo Heliodoro eiuſdem vrbis in eadẽ ciuitate nutritus ⁊ doctus fuit. Qui lectioni ſacre ⁊ oroni atqꝫ carnis macerationi vacans domino ſeruiebat: pauperũ quoqꝫ vſibus intentus erat: egrotantibuſqꝫ curã ſollicitus impendebat. Corpus quoqꝫ ieiunijs atterens ad tantam perfectionem deuenit: vt ſingulis diebꝰ dominicis ſacram cõmunionem percipiens: deinceps ſine vllo cibo vel potu tota hebdomada ꝑmanebat. Cum autẽ paganorum perſecutione feruẽte heliodorus epiſcopus de altino receſſiſſet: et ad inſulas ſe maritimas contuliſſet: liberalis in eccleſia principali que erat dei genitricis orationẽ fudit ad dñm: vt eius in pace ſuſciperet ſpiritũ. Eademqꝫ nocte angelꝰ domini ſibi dormiẽti apparuit: ⁊ orationẽ eius exauditam a domino nũciauit. Qui ſurgens a ſomno viſitauit ſingulas eccleſias ciuitatꝭ: peruenitqꝫ ad inſulam que dicitur flactio caſtrorum vt ad ſanctum heliodoruꝫ accederet. Sed cũ ad ipm ꝓpter aquas interpoſitas tranſire nõ poſſet: in eccleſia proxima ſancti laurentij modico tẽpore commoratus eſt: vbi poſt paucos dies inter ſacerdotum manus migrauit ad xpm. v. kalen. maij. Corpus quoqꝫ eius ibidem ſepultum proceſſu temporis deſtructa altineñ. ciuitate ad oppidum taruiſinum tranſlatum eſt.

¶ De ſancto Pulione martyre Cap. xciiij.

PUlio martyr in ciuitate ciuilitana prior lectoꝝ fuit: de qua quidẽ vrbe valerianus imperator oriundus extitit: in qua ⁊ ipe martyr ſub pſecutione diocletiani et maximiani imperatorum martyrum pertulit agente preſide probo. Hic enim preſes poſtꝙ ĩ ciuitate firmeñ. ſanctũ hyreneũ eiuſdẽ vrbis epm cũ ſancto mõtano preſbytero ſmerulleũ in flumine demergi fecerat. Sanctũ quoqꝫ demetriũ ipſius eccleſie diaconẽ decollauerat: ꝑuenit ad vrbẽ ciuilitanã: in qua pridẽ ſanctus euſebiꝰ ipſius ciuitatis põtifex paſſus fuerat: fecitqꝫ teneri pulionẽ lectorẽ: quem chriſtũ cõſtantiſſime confitentẽ ac ſacrificare nolentem: dicentẽqꝫ ſe velle patrũ ſuoꝝ qui pro xpo paſſi fuerant imitari veſtigia: flammis iuſſit exuri: qui paſſus eſt. v. kalen. maij.

¶ De ſancto Vitale martyre. Cap. xcv.

VItalis martyr miles chriſti natiõe Mediolaneñ. apud rauennã tẽpore neronis paſſus eſt. Hic vxorem valeriaꝫ habuit: ex qua gemellos geruaſium et ꝓthaſiũ ꝓcreauit. Qui cum paulino iudice rauennã ingreſſus: cum quendam chriſtianũ arte medicũ nomine Vrſicinũ ligurẽ decollari videret: illeqꝫ martyriũ expauiſſet: ſanctus Vitalis eum exhortari cepit: ne ipſe qui alios curare cõſueuerat: ſeipſum eterne mortis iaculo vulneraret. Quod vrſicinus audiẽs cõfortatus martyrium libenter excepit: quẽ vitalis honorifice ſepeliuit: ⁊ ad paulinũ ꝯſularẽ ſuũ vltra venire contẽpſit. Ille ꝓo nimiũ indignatus: tum quia ad ſe venire contẽpſit: tum qꝛ vrſicinũ ſacrificare volentem retraxit: ⁊ ſic ſe chriſtianũ oſtendit: iuſſit eum teneri: ⁊ confitentẽ chriſtum in equuleo leuari: deinde ipſum ad palmam duci: et

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN